249
150

Viro,

Amplissimo atque Celeberrimo,

Carolo Morgenstern,

Univers. Caes. Dorpat. Professori P. O., Consil. Stat.

et Equiti aur.

S. P. D.

Fredricus Wilhelmus Lipping.

Magnum ex litteris Tuis, Vir amplissime, nuper ad me perlatis, gaudium percepi, videns nec Tibi displicuisse, quod verebar, nec sine successu optato effectum esse, librorum in subhastatione Lampiana licitandorum negotium. Gratias igitur meas accipe humillimas, eo majores, quo melius de fide atque diligentia viri honestissimi, Wittii, cui curam hujus rei credidisti, tecum sentio, cuique propterea referendae gratiae voluntatem meam significare ut

249v

velis, etiam atque etiam rogo.

Probato libros comparatos huc mittendi modo, a Wittio proposito, mutatoque Revaliam quod attinet consilio priori, cistâ accipiendâ et Vectori quod debetur solvendi negotium Mercatori cuidam Petropolitano, Carolo Brunn, jam dedi. Petropolin igitur, in manus illius Brunn tradendi ut a Wittio mittantur libri, cures velim, Celeberrime Vir, ipsique huic reddas, rogo, emtorum pretium 410 Rub. chart., his inclusum litteris. — Vectori autem ut immoderati quaestus praecipiatur locus, pacto ante abitum Dorpato conveniat opto, quanti opera ejus aestimetur.

Valeas, Amplissime Vir, mihique nunquam non faveas!

Dabam Aboae d. III. Aprilis a. MDCCCXXIV.